# DISSERTATIO MEDICA
## DE
# FEBRIBUS
## In Genere;

*Quam,*

FAVENTE SUMMO ET VERO ARCHIATRO,

*Consensu Inclyti Medicorum in Academia Tubingensi Ordinis,*

*PRÆSIDE*

MAGNIFICO UNIVERSITATIS p. t. RECTORE
DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,
Phil. & Med. D. ac Prax. Prof. Publ. Ordinario,
Consiliario & Archiatro Würtembergico felicissimo, Præceptore ac Patrono suo æternùm colendissimo,

*Publico ac Solenni Examini submittit*

JOHANN-HENRICUS Gsell/
Tubingensis, Med. St.

IN AUDITORIO MEDICO
*Die XI. Martii*
Horis solitis.

*TUBINGÆ,*
JOHANN-CONRADI REISI,
*Anno MDCXCII.*

# VIRIS

## *PER-ILLUSTRI,*

***Consultissimo, Nobilissimo, Amplissimis, Nobilibus, Prudentia Longoque Rerum Usu Praeclarissimis,***

Inclytae Civitatis TUBINGENSIS

## DNO SATRAPAE,

***Domino suo Gratioso,***

## DNO PRAEFECTO,

## DNNIS CONSULIBUS,

**DNO ARCHIGRAMMATEO ac reliquis**
Senatorii Ordinis Dominis Assessoribus
Gravissimis,

***Dominis Patronis ac Fautoribus suis submisso***
***ac officioso cultu Venerandis***

THESES HAS MEDICAS

sacras esse vult

*Cliens devotissimus*

JOHANNES HENRICUS Gsell/
Tubingensis.

Σ. Θ.

THES. I.


Ebris à ferveo, ferbeo Latinis, quibusdam à februo, purgo; Græcis πύρ, πυρετὸς, ab igne dicitur; Hebræi à conflagratione, accensione, ardore, exustione, igne ossium *Nomen* ipsi imponunt.

II. *Historiam Morbi*, quæ non malè præmittitur explicationi ipsius, quia generica hæc est consideratio, non recensemus; nec enim absque speciali enumeratione symptomatum, huic vel illi speciei propriorum, determinatorum, commodè fieri posset. Varius namque & diversus febrium microcosmicam machinam sive œconomiam turbandi modus est.

III. *Ideam* formaturi ad morbos intemperiei (nec ad ullam morborum classem commodiùs referri potest febris) calidæ referimus febres, ad Universales. Universalitatem potissimùm Subjectum, sed & actiones lædi solitæ, ætas, sexus, anni tempus quodvis febribus obnoxium docet. Vocant Varii variè, calorem naturalem auctum, in igneum conversum, calorem extraneum, calorem p. n., ardorem accensi sulphuris, incensionem, inflammationem, ebullitionem. Nos dicimus calorem intemperatum, vitiosum, disproportionatum, p. n., actiones lædentem, partes edendis actionibus ineptas reddentem. Non verò totalis caloris aut calidi immutatio est, hinc morbum, non mortem cudit; sicut in omni morbo quid naturalis remanet. Non morbum, sed bellum contra morbum, remedium ad sanitatem esse qui dicunt, ponunt quod universale non est, & hoc posito consequentiam nectunt invalidam.

IV. *Diversi* hîc sunt *Authores*, potissimùm, quia diversò modo febrim considerant, ejusque Essentiam determinant. Distincta autem distinctos etiam requirunt conceptus; distincta nomina. Sed consideramus nos Febrim ceu descripserunt & delinearunt si non omnes, tamen plerique, tanquam p. n. incensionem non solùm sanguinis, aliorumque humorum, sed etiam

ſolidarum corporis partium, inflammationem aut ebullitionem, hinc & nomina in plerorumque moratiorum populorum linguis, etiam Chaldaica, Syriaca, Arabica, Æthiopica, Perſica febres ſortitæ ſunt præſertim continuæ, à calore ac ſimilibus vehementioribus motibus. Qui *calorem effectum febris* dicunt, non eſſentiam, hanc verò (ecce loquendi modum qui cauſandi rationem dicit) fieri à ſanguinis aut lymphæ aut utriusque ſtagnatione, cauſam ponunt non eſſentiam ſeu Ideam aut p. n. ium claſſem, & quidem cauſam non univerſalem, ſed particularem, quæ ſola toti febris negotio non ſufficit, & ſæpè absque febri in corpore eſt, cauſam non proximam, ſed inter quam & febrim alia adhuc proximior intercedit. Et dum ipſi fervorem ſive ebullitionem ſanguinis, ſi adeſt, effectum febrium dicunt, per febrim non morbum, ſed cauſam aliquando, non ſemper, præſentem nec proximam, ut ex ipſorum traditis patet, intelligunt. Similiter, qui dicunt, in febribus *non demum cauſas incipere virtutem ſuam exerere*, cùm dolor ſive æſtus p. n. auctus in partibus aut toto corpore percipitur; ſed magis principia earundem deſumi debere ab illa mutatione, cùm vel ſubitò exhalationes fuliginum in cute ſiſtuntur, aut lympha ac ſanguis circa glandulas miliarias ac tubulos excreantes ſtagnat, vel intra arteriarum oſcula moram capeſſit, aut circa glandulas, tubulos ac oſcula vaſorum à quovis irritamine conſtrictio ſpaſtica fit, ii, aut principium febris, non augmentum, non ſtatum, aut morbum à febri diverſum deſcribunt, & cauſam ponunt, ut modò dictum, aliquando, non ſemper, præſentem; ſemper enim ſanguinis uterque motus in febribus depravatus, irregularis, disproportionatus, plerumque auctus eſt. Dum enim perpetuus novus purpurei laticis ac lymphæ appulſus eſt, dum ſanguis quaquaverſum diverticula quærit motu non recto, ſed curſu obliquo, ut loquuntur Illius ſententiæ Patroni, utique motus modo jam dicto læſus eſt. Effervescentiam, ſulphur accenſum qui ponunt, qui *ſubſtantiam* dicunt *febrim*, ignem nempe, partem Archei deturbati ex indignatione, cauſalem ſtruunt definitionem: Qui *motum*, vitium motus formale febris dicunt, inter cauſæ peccata enumerandum huc trahunt; Qui *calorem nil niſi motum* ipſum

ve-

midulantis particulas vel fixas volatilisent, vel volatiles figant & ita a reliqua massa separent, crasin massæ sanguineæ naturalem perverti & talem dyscrasiam sive talem heterogeneitatem & non miscibilitatem partium componentium induci, ut exinde salium conatu concussa fermentatio p. n. excitetur, humores secundum omnes dimensiones agitari, ipsasque fibras solito celerius commoveri. *Dum*, inquam, *ita dicitur aut scribitur*, dicitur id, quod nos ante & mox in seq. Imò &, qui lentum motum & tardiorem mixtioni sanguinis turbatæ junctum esse statuunt, tamen etiam secessionem, agitationem particularum dicunt, qui stagnationi sanguinis aut lymphæ actiones plures postliminio lædenti, sanguinisque motum periodicum remoranti adscribunt ortum febrium, dicunt stagnando lympham posse putrescere ac resolvi, quemlibet ferè humorem ex diversis inter sese pugnantibus particulis constantem, nisi impulsus fortior externus accedat, brevi tempore in noxium ac fœtidum liquamen stagnando verti, aut fermentando acescere, dicunt humores mediante calore interno pedetentim putrorem nactos ita perverti, ut etiam malignæ eorundem qualitates magis magisque incrementum capessant, donec tandem omnia è diversis salibus aliusque texturæ particulis connexa ac humoribus innatantia corpuscula à se invicem dissolvantur ac colliquescant, fœculentæ autem, terrestres ac limosæ particulæ ex adverso magis indurentur; hinc particulis salium volatilibus, quæ aliis oleosis ligatæ sunt, dissipatis & facillimè è corpore avolantibus, reliqua volatilia acida arsenici instar rodentia corpuscula ab oleosis illis demulcentibus evoluta sanguini aliisque humoribus tamdiu impexa permanere, usque dum per febris alicujus impetum ad oscula arteriarum in hoc vel illo labascente viscere aut alia corporis parte projiciantur, dicunt virus in malignis vim suam mediante assiduo putrefaciente calore exerere, motum expressè ponunt irregularem & cursum obliquum. Vid. th. 4. & 5.

X. *Huc ergò res & mens redit:* Particulæ sanguinem sub amica harmonia, æquilibritate, temperie debita ac proportione naturali, quà primas qualitates motum, texturam variam, indolem, figuram, situm, magnitudinem, continuitatem & alia

ad-

adjuncta constituentes æqualiter per sanguinem dispersæ atque divisæ, & impulsu æquabili, regulari agitatæ vel ab aëre intertexto, vel alia causa in motum aguntur inordinatum, irregularem, noxiæ hactenus subjugatæ à blandiorum compedibus liberantur, alias in sui motus leges cogunt, dum dictæ illæ particulæ inæqualiter miscentur, moventur, agitantur, turbantur &c. ut naturalis illa temperies in præternaturalem calidam, perversam totius transeat, moventur & movent in sanguine particulæ, ut plura subtilia effluvia corporis, quod calidum nimis tangitur, Subjectum tactus majori impetu, irregulariter, inordinatè afficiant. (Effrænes seditiones, tumultuosas ebullitiones, orgasmos impetuosos aliquando absque febre in corpore non negamus)

XI. Nec tamen planè eædem sunt *Ebullitio, Accensio* & *Effervescentia fermentatoria. Istam* volumus, cùm vel ab igne externo instar aquæ in lebete ad ignem, vel ex interna agitatione ac motu ebulliunt sanguis, seri variæ species. *Illam*, cùm sulphureæ inflammabiles, oleosæ particulæ luxuriantes ardorem concipiunt, accenduntur, inflammantur, flagrant. *Hanc*, cùm ex congressu diversarum molecularum effervescentia illarum exurgit. A quibus autem principiis illa diversitas & effervescentia hostilis fiat, diversi ex hypothesium diversitate sunt Authores. Frigus, calor, siccitas, durities, crassities, subtilitas, concavitas, fissura, hami, dentes, unci, varii anguli, coni, acumina, spicula, sulphur, ☿rius, fixum, volatile, oleosa, lixiviosa, nitrosa, alcali, acidum &c. adducuntur; quæ licet, præsertim duo postrema, rem eleganter explicent, nullum tamen est, quod specialissimè nisi principium & fermentum determinans accesserit, rem hîc omnem penitus exhauriat; Imò non à pugilibus hostilibus, sed amicis unionem intendentibus hanc contingere effervescentiam Quidam volunt.

XII. A Naturali statu dictis modis recedunt, à Consistentia ita distinctæ, Res *Spirituosæ*, spiritus vitalis, animalis, *Flatulentæ, Vaporosæ, Halituosæ: Humorosæ*, sanguis, serum, lympha, liquores corporis naturales reliqui, mucus oblinens, humectans fibrillas totius, sanguis grumosus, extravasatus, pus, itidem (iis qui

qui hæc nomina non faſtidiunt) bilis, melancholia, pituita, aliis etiam, ut mox præſtabimus, forſan magis arridentibus nominibus exprimenda: *Solidæ*, fibræ carneæ, nerveæ, vaſa, membranæ &c. viſcera, glandulæ quâ hanc vel illam ex triplici claſſe diſpoſitionem, craſin, poros, figuras, unitatem &c. p. n.er læſæ, calculi vermes, ab extra advenientes res variæ.

XIII. *Peccant*, ſi *lædendi modum* conſideramus, *Quantitate Deficiente*, Spiritus, (nam licèt non in debita quantitate præſentes tamen nimis attenuari, moveri, furere poſſunt: Alia enim eſt volatilitas, ſpirituaſcentia naturalis, harmonica, alia p. n. eccentrica, effrænis, disproportionata) Lympha blanda, mitis, demulcens, roſcida. *Excedente*, vapores, halitus, flatus ſub iſta effervescentia p. n. neceſſariò exurgentes, ſanguis & alii, etiam p. n. humores, & ſolida. *Qualitate* (non nudas non primas ſolùm hîc volumus qualitates) *Irreducibili*: Spiritus aut ſanguis veneno tincti, infecti, ſive intus genito, ſive ab extra communicato, ſanguis grumoſus, lac corruptum, pus. *Reducibili*: cùm nimirum ſpiritus deviantes triſtibus, moleſtis ac perverſis idéis turbantur, & flatus; præſertim ſanguis & humores reliqui (non enim nudam hos aquam volumus) tàm nativi ſphæram craſeos & texturæ naturalem tansgreſſi, quàm p. n.es, conſtantes potiſſimùm ex prædominantibus particulis calidis, ſiccis, bilioſis, vel tenuibus, ſulphureis, reſinoſis, oleoſis, volatilibus, enixis, ſalſis, alcalicis, acribus, acidis, volatilibus variis, anguloſis nimium agitatis, auctis, exaltatis, à freno, compedibus liberatis, è vagina eductis, ſui juris factis. Nec hæ ſolùm, ſed & ſeroſæ, crudæ, indigeſtæ, torpidæ, inertes, in debita, volatili, ſpirituoſa, balſamica textura deficientes, perverſæ, vappeſcentes, mucoſæ, viſcidæ, fixæ, craſſæ, cylindricæ, flexiles, lubricæ, fluitantes, glabræ, læves, nimis quietæ, globulis ſanguinis duriores haud raro & acidæ, auſteræ, acerbæ, ponticæ, tartareæ, terreſtres, obſcuræ, acuminatæ, polyhedricæ particulæ poſſunt & ſolent peccare. *Motu Nimio* ſpiritus & ſanguis cum reliquis ſuccis vitalibus, vel globuli ſanguinis, aucto inteſtino, progreſſivo, effervescentia, orgaſmo, impetu enormontico. *Stagnatione*, ſubſiſtentia aliquando. *Loco*: dum ſubſiſtunt in hoc vel illo loco, in quo non ſubſiſtere, aut è

quo ſive per quem educi deberent, ut inter alia circa extrema arteriarum oſcula glandulasque aut tubulos excreantes. *Fibræ* laxitate, modò contractione, conſtrictione, ſpaſtico motu, *membranæ*, partim denudatæ. partim ſero mucoſo, ſed acribus particulis tincto obductæ ſunt; *viſcera, glandulæ* à temperie, textura, unitate variè recedunt : *Solidæ partes* vigore ſpirituoſo inflante & balſamico, rore nutriente, lympha humectante, oblinente debitis deſtituuntur. *Non rarò cauſarum dictarum infelix mixtio fit.*

XIV. Talesque cauſæ primùm generari, ſecerni, cumulari, moveri poſſunt ac ſolent in *quavis corporis parte*, ut th. 7. diximus, ibique vel materiæ, vel efficientis, vel utriusq; culpa. Qui tàm variorum in corpore noſtro occurſum conſiderat, varia talia ſubjecta & cauſas non mirabitur. Nec rarò *ab extra* tales cauſæ corpori communicantur.

XV. Ad dictarum verò Cauſarum vel generationem, vel ſecretionem, vel cumulationem, vel agitationem faciunt è Claſſe *Rerum Naturalium* : Temperamentum quodvis, ætas quævis, minùs tamen præ reliquis ſenilis, ſexus quivis, habitus corporis quivis. *Non-naturalium: (Potiſſima hæc non rarò ordini Cauſarum Remotiorum, cui ab Authoribus inſeruntur, ſe ſubducunt, & Proximiorum claſſi ſe intrudunt.) Aër* pluvius, turbidus, nebuloſus, frigidus, mucidus, æſtuans, fervidus, contagioſus, paludum, ſqualidorum carcerum, ergaſtulorum pulvere ſordido, ſitu mucove obductorum, cœni, ſordium per plateas ſtratarum, fimetorum, cadaverum, latrinarum, ſepulchrorum, caſtrorum miaſmatis inquinatus, effluviis tinctus. Intempeſtiva corporis refrigeratio, ſubitanea ejusdem calore fervidi frigido aëri expoſitio; tempeſtates anni minus ὡραίων ſe habentes, inæquales, & ſubitæ excedentes aëris mutationes ſub talibus tempeſtatibus multum hic ponderis habent. *Cibi* quàm frequenter & in ſe, & quantitate, qualitate, præparandi, aſſumendi modo, tempore noxii fiant, & febres creent, quotidiana teſtatur Experientia. Exceſſus & defectus hìc nocent. Cruditates quid valeant, notum eſt. *Potus* varia genera, aquæ impuræ ſtagnantes, noxiis mineralibus tinctæ, putridæ, vario alio modo peccantes, vina gene-

generosa in nimia quantitate ingurgitata, pendula, rancida, nimis sulphurata, acerba; austera, cerevisia non benè defæcata, turbida, acescens, potus glaciati febres facilè creant. Potum gelidum post vehementem motum, balnei aut laconici usum febres gignere multi experti sunt. *Motus* nimius, excedens, immodicus corporis semper præsertim post cibum, plurimum ad gignendas febres confert. *Quies* nimia immoderata, desidia, otium, sedentaria vita suum hîc calculum frequenter addunt. *Vigiliæ* excedentes morbo huic causam præbere sæpius solent. Nec minus *Somnus* limites transiliens, protractus, profundus, mox à cibo institutus. *Retentæ* Evacuationes consuetæ sive naturales, sive artificiales, alvus constipata, urina suppressa, sudor detentus, transpiratio insensibilis præpedita, salivæ expuitio, sputi excreatio, muci expectoratio oppressa, hæmorrhoides occlusæ, menses subsistentes, hæmorrhagia narium familiaris emanens, imò & flatus incarcerati, fonticuli occlusi, ulcera exarescentia, V. S. debitè familiaris intermissa, exanthematum vel sudoris nondum ad finem perducti palindrome &c. frequentes febrium causæ sunt. *Evacuatio* etiam *nimia* retinendorum, sudores nimii, menses enormiter copiosi, sanguinis profluvium insigne, hæmorrhoides excessivè liberales, fluor albus, V. S.is abusus, Venus nimia idem aliquando præstant. *Animi pathemata*, præsertim ira tàm aperta, quàm occulta, conclusa cum mœrore conjuncta, nec rarò tristitia, timor, trepidatio, terror, & gaudium febres cudunt. *Balneorum* usus minùs congruus tàm humidorum in aqua simplici, medicata, minerali, vino &c. quàm siccorum in hac classe postremus non est. *Medicamenta* nimis calida, volatilia, spirituosa, ptarmica, errhina, vomitoria, purgantia, sudorifera &c. interna & externa, & hæc quidem vel in se, vel ob adhibendi modum, quantitatem, abusum &c. minùs apta, *venena* per os assumpta, aut per alias vias corpori communicata, suum & hîc sortiuntur locum. *PræterNaturalium:* Inflammatio strictè sic dicta, frequenter aliquando causa, aliquando effectus, puris generatio, calculi, vermes, ventriculi varii morbi chylificationem lædentes, viscerum, glandularum affectus p. n. varii.

XVI. Est ergò Febris *Intemperies calida p. n. totius perdurans*,

*à sanguinis motu aucto, perverso, ebullitione, accensione, effervescentia oriunda, actiones varias insigniter lædens.*

XVII. *Differentias* enumerare, exponere & describere scopus noster, qui est in generali consideratione febrium subsistere, non concedit.

XVIII. Quæ ratio simul nos movet, ut diversarum specierum diversa non enumeremus *Signa Diagnostica*. Febri in genere pulsum celeriorem, frequentiorem, lassitudinem, labores, languores adscribunt.

XIX. Quâ *Prognosin*: Omnes febres periculum habent junctum, actiones enim insigniter lædunt, imminuunt, abolent, depravant, spiritus dissipant, obruunt &c. Despumare aliquando sanguinem non negamus, sed non semper fit, & cum fit illa despumatio, per morbum periculosum plerumque per labores non leves fit. Pulsus magnus est bonum signum, ut & urina coctionis signa præbens. Specialia prognostica in specialibus ponenda sunt febribus. Subdolæ enim dantur febres, in quibus nec modò dictis fidendũ. *Solvi* solent per λύσιν, & per κρίσιν. Hæc fit, cum sub illa particularũ agitatione, motu, pugna, illud quod in corpore nostro (voca Naturam, ætherem consuetum, spiritum vitalem, Archeum, animam (modò heterodoxia absit) subordinationem, seriem causarum, aut aliter, quomodolibet) concurrentibus molecularum sanguinis motu, figura, adjunctis aliis & solidarum partium structura ac textura, ita agit, nè quid moliatur, nisi, quod toti fabricæ ejusque privatis commodis maximè accommodum est, illam sustentat, ab adversis liberat, tuetur, coquit, unit uniendas, segregat secernendas & excernit particulas per sudores, vomitus, expectorationes, ptyalismos, per nares, alvum, vesicam, abscessus. Si vincit, salutaris, sin succumbit, lethalis oritur Crisis. Nostris in oris Crises salutares sensibiles aliquando in febribus contingunt, aliquando non. *Non rarò ipso critico die subitò absque excretione vel abscessu solvuntur, aut ad minimum multum remittunt febres.*

XX. *Methodus Medendi* docet potissimùm ea, quæ in corpore adhuc sana sunt, conservare similibus, quæ verò p. n. se habent, contrariis, adversis, sive natura, sive operatione, virtute &

effectu

effectu quoad quantitatem, ſitum, figuram, numerum &c. ſive poſitivè, ſive privativè, ſive per ſe, ſive per accidens talibus tollere. Hinc Medicus Indicantibus primariis & potiſſimis, cauſis nimirum ſupra adductis opponit Indicata, hæcque exequitur per materiam ſ. Remedia *Evacuantia*, quæ cauſas educunt è corpore per emunctoria ordinaria, extraordinaria, ſenſibilia, inſenſibilia, &, ut vocant *Alterantia*, quæ immutant ipſas, infringunt, enervant, obtundunt, invertunt, mitigant, ligant, deſtruunt, in priſtinũ ſtatum reducunt. Illæ Remediorũ materiæ è triplici depromuntur Armamentario, *Chirurgico*, *Pharmaceutico*, *Diætetico*.

XXI. Ex *Iſto*: *Venæſectio* ſanguinis quantitatem nimiam imminuit, flatus halituoſos educit, effervefcentiam, motum nimium compeſcit, fibras ab onere, quo premuntur, liberat, qualitate peccantis cauſæ in plethora ſpuria portionem educit, ſtagnationem, ſuffocationem imminentem tollit. Ceu autem hæc è foro medico penitùs proſcribenda non eſt, ita maximè neceſſaria eſt prudentia, quæ ejus in febribus quibusdam quotidianum abuſum & inde ſecuturas noxas corrigat. *Arteriotomia* in altero tempore eadem, imò citius ſæpè præſtat commoda, quæ V. S. Nec tantum apparatum & tantam curam, ut hinc inde præſcribitur, requirit. *Cucurbitulæ* ſcarificatæ humorum imminuunt quantitatem, in glandulis cutis miliaribus ſtagnantes movent, motum p. n. refrænant. Non ſcarificatæ, flatus vapores educunt, diſcutiunt, ſpiritus & humores avertunt. *Hirudines* variis locis, imprimis hæmorrhoidibus, quarum fluxus antea familiaris erat, affixæ ſanguinem exugentes, quantitati ejus, fervori, orgaſmo, etiam ſtagnationi opponuntur. *Ulcera artificialia* ſimplicia & duplicia, dum cum ſero varias ſordes & heterogeneas educunt particulas, qualitatis & motus vitia corrigunt. *Inuſtiones*, *Sinapiſmi*, *Veſicatoria* juvant, non ſolùm educendo ſerum & halitus, ſed & ſpiritus in ordinem colligendo, revocando, alìorſum trahendo, acribus, volatilibus urentibus particulis cauſam morbificam emendando. *Frictiones* ſpiritus aliò vocant, ſanguinem nimis motum refrænant, ſtagnantem movent, inſenſibilem tranſpirationem juvant, flatus, vapores, humores, diſpergunt, educunt. *Ligaturæ* irruentem compeſcere ſanguinem, *dolorificæ* avocare ſpiritus & avertere humores valent.

XXII.

XXII. Ex *Illo*: *Evacuantia.* In ſpecie, *Purgantia*, tàm per ſuperius, quàm inferius guttur infuſa, quantitatem flatuum & humorum p. n. imminuunt, quædam qualitate irreducibili peccantia educunt, ſecundariò qualitatis, motus & loci vitia tollunt. *Vomitoria* eodem modo juvant, præſertim, cùm mali fomes in ventriculo hæret. Ceu utraque plurimas cautelas in exhibitione & adminiſtratione, quà an & quà quomodo, poſcunt, ita quotidiè maximus circa illa cum inſigni ægrorum damno committitur abuſus. *Diuretica* non ſolùm per vias educunt urinarias, ſed & ſimul attenuant, promovent, reſolvunt, incidunt. *Diaphoretica* educunt quoscunque flatus, vapores, humores tenues, quantitate, qualitate irreducibili & reducibili peccantes, ſimul & emendant viſcidos ſtagnantes humores, nimis tenuium heterogeneas particulas corrigunt, motum & ebullitionem particularum placidiorem reddere valent, & hac ratione occaſionem præbent particulis reſolutis, ut rurſus connubium ineant, & inter ſe miſceantur: dein amicabili æthere, ut loquuntur, per eorundem conſtantes poros fluente, particulas ſanguinem reſolventes aut deſtruunt, aut extra vaſa propellunt, ut & mixtas particulas rurſus in globulos dividunt, & ſanguinem regenerare faciunt: præterea, ſedato quodammodo bello illo inteſtino ſua particularum conſtantia obſtructiones (ſi adſunt) aggrediuntur, easque reſerant, & inflammationem (ſi adeſt) aut latibulum tollunt. Multum hæc juvant in febribus, nec tamen ſemper ſufficiunt, nec ſemper proſunt. Potiſſimum verò proſpiciat Medicus, neceſſe eſt, ut debita exhibeat ſudorifera in hac vel illa febris ſpecie. Datur enim febris, quæ diaphoretica, ſpirituoſa, volatilia, oleoſa, aromatica, educta, elicita, ſeparata, datur quæ talia in integris adhuc contenta, datur quæ volatilia, lixivioſa, urinoſa, datur quæ fixa, terrea, datur quæ acida datur quæ ſalina requirit. Agunt quædam Diaphoretica attenuando, rarefaciendo, reſolvendo, quædam præcipitando, abſorbendo, invertendo, vim ſpirituum tumultuantem ſimul ſedando, quædam ſanguinis & ſeri partim coagulationem, partim fuſionem promovendo, quædam incidendo. Interna & externa ſolent eſſe ſudorifera. *Errhina*, *apophlegmatizonta* eductione muci, ſalivæ, ſputi varia maſſæ ſanguineæ educunt recrementa.

XXIII.

XXIII. *Alterantia:* In ſubjecta qualitatum agentia, non ſimplicis tantum, ſed & amari, acerbi &c. craſin ſingularem, ſyſtaſin, texturam & alia adjuncta, particularum p. n. mutantia, fermenta p. n. tollentia, deſtruentia, imminuentia. Inter hæc primò occurrunt, ita dicta. *Refrigerantia.* Hæc (ut iterum *cum variis Authoribus variè loquamur)* conſtant ex aqua & terra prædominante, calorem exceſſivum nimium temperant, mitigant, demulcent, tollunt, non continuant, poros anguſtiores reddere, particulas lentore quodam obvolvere, viſco quaſi obducere, ligare ſolent, tales poros & particulas habent, quæ non facilè agitantur; & agitationem ſeu motum utrumque, impetum, orgaſmum particularum ſanguinis & corporis noſtri impedire, ſiſtere, vel tardare poſſunt, in concentrativum calidis adverſum motum rigidâ hinc particularum corpuſcularium propius invicem colliſarum textura & compage enaſcente agunt, ſalinas, acidas, inverſas vel fluorem adeptas potiſſimum continent particulas, calidas, dictas particulas aut in exigua juſto minori quantitate aut ſub aliarum contrariarum jugo ac dominio conſtitutas poſſident, copioſas, ſulphureas, acres, aliasque æſtum cauſantes emendant, coërcent, ſiſtunt, imminuunt, ſanguinem concentrant, debitæ conſiſtentiæ reddunt, Archeum humanum efferum ſubigunt, vel fugant, vel ad quietem reducunt, & à furore remittunt, ſpiritus in corpore noſtro inquietos, turbatos, irritatos, ferocientes, furentes demulcent, in ordinem redigunt, mitigant, domant, quaſi ligant, vapores condenſant, ſanguinem nimis effervefcentem, nimis ſe expandentem compeſcunt, cogunt, quaſi corrugant, nimis fluxilem coagulant, orgaſticè motum leniendo componunt, nimis tenuem incraſſant, nimis volatilem figunt, ebullientem refrænant, accenſum extinguunt, humores nimiũ ſpirituoſos, volatiles, tenues ad debitum fixationis gradum reducunt, acres mitigant, fibras debitæ craſi, tono ac texturæ reſtituunt, dolores levant. Sunt & inter hæc Acida. Nemo autem, ſperamus, de nobis præſumet, eò horum uſum nos extendere, ut flamma vitalis decreſcat aut extinguatur. Sunt & alia, quæ ſecundariò, dum cauſam caloris invertunt, tollunt, refrigerare dicere poſſis, dum particulas bilioſas, volatiles, ſylveſtres, lixivioſas,

viosas, alcalicas, effervescentes, sulphureas, æstuantes, nimium motas refrænant, coërcent, deprimunt, demulcent, ligant, figunt, coagulant, diluunt, humectant, acida effervescentiæ causas obtundunt, enervant, ad resolutionem, exhalationem & transpirationem modò dictarum particularum quocunque modo faciunt, obstructiones aperiunt, effervescentiam p. n. & inde ortum calorem tollunt, subtractis aut inversis particulis illius effervescentiæ causis, *Præcipitant.*

XXIV. *Præcipitantia* (commune retinebimus nomen) ad remedia Alterantia Composita non malè à Quibusdam relata, nec etiam ineptè ad Refrigerantium classem modo dicto deducta, an verè Præcipitantia dicantur, an positivè an privativè præcipitent, laxè an strictè dicta talia sint &c. non disputabimus. Mitigant, corrigunt, obtundunt, occultant acrimoniam, non acidam solùm sed & aliam, spicula varia glutine obvolvunt, ramosis particulis implicant, spiritus feroces compescunt, humorum orgasmum refrænant, fibras roborant, spasticè contractas, constrictas demulcent, restituunt, partim quid patiendo, partim agendo effervescentes ex quacunque causa variè humores coërcent, domant, deprimunt, acidorum, gladiolorum, tetrahedricorũ cum alcalicis, polyhedricis, uncinulatorum & acuminatorum aliorum congressum ac pugnam dissolvunt, sedant, subintrant ipsa fluida imò & solida in corpore eadem quà texturam, systasin inde & crasin immutantia, fermenta morbifica destruunt, continua & heterogenea dividunt, contigua segregant, & particulas contra homogeneas congregant, efficiunt, ut facilè adversa aut sensibiliter, vel per alvum, vesicam, glandulas subcutaneas aut alias vias aut insensibiliter exterminari possint, ut ita Natura turbata & oppressa suas iterum recolligat vires, adeòque coctionem promovent, id est, partes exæstuantes, effervescentes ad separationem, secretionem, excretionem disponunt. Cùm autem amplus præcipitantium vulgò sic dictorum sit campus, certis sunt includenda classibus. Sunt enim vel *Absorbentia, Imbibentia* terrea, calces, lapides, cornua &c. vel *Demulcentia*, mucilaginosa, gelatinosa, vel *Destruentia*, lixiviosa, fixa, vel *Figentia*, papaverea, opiata, vel *Infringentia*, acida, vel *Invertentia*, enixa, nitrata, vel

*Tem-*

*Temperantia*, *Diluentia*, *Humectantia*, *Emollientia*. Trahuntur huc etiam *Volatilia* urinoſa & oleoſa, diſpergentia, diſcutientia, balſamica virtute ac fragrante odore ſuo ſuppreſſos & tenebricoſos ſpiritus ſuſcitantia, refocillantia ac erigentia, ſimul & diaphoretica, oleoſitate, ſubtiles particulas ſalinas acres oblinentia, obtundentia, unà ſecum figentia.

XXV. Præter dilutionis, temperationis, ut modò dictum, intentionem & *Humectantia* requiruntur, quæ lympham deficientem reſtaurant, augent, corpuſcula ſulphurea, acria inviſcunt, obtundunt, irretiunt, mitigant, particulis aqueis, mucilaginoſis, ſucculentis, pulpoſis, carnoſis, humidis, oleoſis in corpus noſtrum agunt, non ſub reſpectu nutritionis, ſed alterationis rigidas & quieſcentes corporis particulas oblongas reddere, flectere, & inter ſe movere poſſunt, particulas liquoris ſtabilium corporum poris intrudunt, coagulationis & arefactionis cauſas ſubmovent, demulcendo, oblinendo, infarciendo, Archéum ſive ſpiritum movent, ut abſque acrimoniæ aut ardoris ſenſu corporis ſubſtantia turgeſcat, lympha ac ſerum reſtituatur. Cauſæ morbificæ impetum retardant, ſimul uno & altero modo dicto juvant *Adſtringentia*. *Calefacientia*, ſi in uſum trahenda Indicantia lege Medendi Methodi poſcunt, ſpirituoſa, aromatica, volatilia, penetrantia, tenuibus partibus prædita, ſpirituum defectum reſtaurant, crudas, indigeſtas, minùs activas, fixas, viſcidas, inertes &c. particulas corrigunt, volatilizant, attenuant, ſuſcitant &c. obſtructos poros reſerant, ſtagnantes humores promovent, lentorem emendant, fibras nimis laxas ſolantur, in ſtatum naturalem reducunt, illisque etiam, quos theſ. 22. & 24. diximus, modis agunt: Vel integra, terreſtribus & aliis frænis aut fæcibus implicita, vel elicita.

XXVI. *Cardiaca*, ſive *Confortantia*, Reficientia, Roborantia ſunt ea, quæ ſpiritus conſolantur, mala ventriculi tollunt, partibus tenuibus penetrantibus ſpiritus & alias etiam corporis partes reficiunt, reſtaurant &c. plura etiam ex iis, quæ in Refrigerantium (nonnunquam & Calefacientia hac intentione allicienda) claſſe continentur. Ea iidem, quæ cauſam morbificam labefactant, tollunt. Lapides Philoſophorum, Aura potabilia, Panacéas &c. non anhelamus. *Specifica* antifebrilia non agunt ſpecificè aut occultè, ſed omnium ipſorum, ſi reverà talia ſunt, ratio reddi poteſt. Specialiora Alterantia noſtrum tranſcendunt ſcopum.

XXVII. *Externa* seu Universalia, seu Particularia, vel attenuant, movent in oscillis vasorum subcutaneorum & glandulis miliaribus stagnantem lentum mucum, vel fermentationem p. n. compescunt, fibras distortas, constrictas, spasticè motas solantur, in pristinum statum deducunt, fermenta quævis heterogenea, seu peccantes vel in maſsâ sanguineâ vel hîc & ibi particulas educunt, emendant, enervant.

XXVIII. *Amuleta* verò, Annulos, Sigilla, Magneticas Transplantationes, Imprecationes, Lustrationes, Schedulas, & similia cum superstitione conjuncta abesse jubemus. Juvant aliquando externa non tàm suâ vi, quam ob confidentiam ægri; Ipsis sæpè adscribitur effectus, qui vel ab aliis remediis, vel à morbi tempore contigit.

XXIX. *In Genere* hæc de Curatione dicta sunt. In *Specialibus* enim febribus, quà singula adducta remedia in se, tùm quà eorum administrationem maximâ cautione, summâ prudentiâ opus est. Non diversæ solùm febres, diversa subjecta, sed & diversa febrium tempora, imò sæpè horæ, diversa poscunt remedia. Qui *febrim sistunt*, sive licitis, sive illicitis modis, tempore alio quam quo solvi illam convenit, certo certius alium morbum corpus brevi ab inde tempore invasurum, vel recidivam secuturam sciant.

XXX. Ex *Hoc*: Aër temperatus & calidus quovis modo procuretur, non nimis æstuans, fervidus sit; Frigefactum communiter suadent, sed non conducit. Non turbetur ab hominum turba magna in cubili versante. Ad cibum capiendum non sunt urgendi ægri; Victus genus causæ opponatur morbificæ, & ad refectionem, restaurationem roscidi nutrimenti dirigatur. Consuetudo multum hic habet imperii. Febrim *cibo avidè experito*, à salubritate vel insalubritate præscindendo, ad satietatem comesto aliquando ob spirituum quasi exultationem, expletum desiderium, refectionem abigi ceu non negamus: Ita in principio hoc modo nunquam fugari scimus, in statu imò declinatione autem cum cessat, non semper isti desiderii expletioni, sed sæpius aliis remediis, simul aut antea in usum ductis, aut quòd jamdum spontè morbus desierit, deberi censemus. Potus omnes inebriantes, multum aromatisati raro prosunt, parcè quidem exhibiti, frequentissimè nocent. Quà motum, jactatio frequens in lecto singulariter nocet febricitantibus, transpirationem enim tàm sensilem quàm insensilem impedit. Quà reliquas res non-naturales, ex thesi 15., quid noceat, patet; hinc vitanda talia, & contraria observanda suademus.

TANTUM!

*SIT DEO LAUS, HONOR*
*&*
*GLORIA.*